

de probat. lib. 3. conclus. 1352. num. 59. D. Castillo, lib. 4. cap. 21. num. 108. & 109. Capicius Latro consultat. 14. tom. 1. ex num. 33. vsque ad 60. & consult. 15. num. 1.

28 Contra quam resolutionem, quam tenent omnes Authores, qui pro hac opinione supra traduntur, minimè obstat defectus publicationis, siue lectionis; quia est defectus solemnitatis nõ voluntatis, vt est dictum. Ultra quia lectio, & publicatio scripturæ non fit ad essentiã, & perfectionem testamenti nuncupatiui, sed ad probationem illius, vt est certissimum, & tradunt prædicti Doctores.

29 Non etiam obstat, quod aliqui dicunt, nempe quod si testator adhibuit notarium, creditur voluisse publicari testamentum, & idè si non fuit publicatum non valere tanquam imperfectum ratione voluntatis; vt Ruinus conf. 1. num. 7. vol. 3. Thesaurus qui sic argumetur, d. quest. 28. num. 11. Mantica de cõiecturis lib. 2. tit. 4. num. 6. vbi etiã dicit, quod non præsumitur testamentum lectum coram testibus, nisi tabelio dixerit, aut scripserit clausulam

actum coram me, & testibus infra scriptis. Socinus Iunior conf. 71. nu. 24. l. b. 4. cum alijs Gratianus cap. 550. num. 1. & 2. quia contrarium verum est, & ex vocatione notarij probationi fiendæ per testes minimè videtur testator renuntiare; argumento l. miles qui destinaverat, ff. de milit. testam. quia testator præsumitur testari omni meliore modo quo potuit, vt in terminis Paulus de Castro conf. 60. & 307. in fine lib. 1. Tiberius Decianus responsio 64. nu. 5. vol. 3. Simon de Prætis conf. 85. num. 9. Parladorus differentia 15. num. 11. Peregrinus decif. 80. num. 7. & 4. vbi num. 10. inquit, quod ex magis communi sententia Doctorum definitum est; quod si testator coram integro numero testium expresserit voluntatem suam, adè vt testamentum ratione voluntatis posset videri perfectum, quamvis notarius vocatus non publicaverit voluntatem testatoris, & interim decesserit, nihilominus testamentum per testes, qui interfuerunt, probatum valebit per textum in l. Lucius, ff. de milit. testam. D. Castillo, lib. 4. c. 21. nu. 109. vbi inquit Tabelionem adhibi-

tum

tum fuisse, nocere nequaquã debet, si aliã testatoris voluntas probetur legitimè; nam et si notarium ad scribendum testamentum vocaverit, non inde sequitur, quod ita necessario scripturam exegetur, vt aliter testari noluerit, vel eam viam excludere, per quã voluntas eius in tuto manere debeat. Optimè Gratian. d. c. 550. n. 40. vbi num. 41. cum seqq. tenet, quòd etiam sine scriptis valet testamentum, etiam si interveniat notarius, quia non censetur adhibitus pro substantia, sed pro faciliore probatione, & quia testator præsumitur voluisse testari omni meliore modo quo potuit, & quod etiam si non sit lectum nec publicatum testamentum valet, quando agitur de probando illud per testes, & sic decisum fuisse in Rota. Bertazol. conf. 88. nu. 1. vbi inquit, quod licet notarius non legerit vel publicaverit testamentum, cum interim dum scriberetur mors obvenit testatrici, hoc non infringit testamentum perfectum, quia licet non fuit publicatum, ex quo obierit testator, probatur per testes, qui illi fuerunt adhibiti, non autem per illam scripturam imperfectam, vt ex textus in d. l. Lu-

cus. Ludovicus Morotius responsio 34. num. 27. vbi non esse bonam consequentiam, inquit, testator ad testamentum scribendum notarium vocavit, ergo de necessitate ita scriptum exigit, vt aliter noluerit testari; quod antecum dixit Covarrubias in c. relatum el. 1. de testament. num. 11. in tertia conclusione vers. nec oberit. Iacobus Cancerius lib. 1. var. cap. 4. in 2. impress. ex nu. 95. vsque ad 98. vbi dicit iudicatum pro hac opinione, & alij relati infra cap. seq. num. 20. & supra cap. anteced. n. 15. vbi pro hac opinione retuli Antonium Fabrum. D. Crespi de Valdaura observat. 52. n. 52. Rubeus, de testam. cap. 8. n. 32. ibi: Vnde dum testator simpliciter asserit, vt eius publica voluntate conficiatur per notarium scriptura, alio non addito, censetur illam desiderasse pro maiori probatione, & non pro eius essentia, & forma, seu ad substantiandum ipsum testamentum.

31 Pro complemento capitis & materiæ animadvertendum est, testamentum præsumi solemne quando agitur de solemnitatibus, quæ in testamento poterant intervenire tempore condendi; vt bene explicat Menochius de præ-


P 3 sum-

sumptionib. lib. 4. p. 9. unde cum lectio, & publicatio testamenti sit solemnitas introducta ad probationem testamenti, & ut fraus cesset, quæ lectio debet intervenire tempore condendi, si testamentum completum, & absolutum sit, presumetur lectum, etiam si non contineat clausulam actum coram me, & testibus, quia necessaria non est ad illius perfectionem, ut ex Corneo probat Menochius *conf. 224. num. 34. vol. 3.* Sed tamen quia de stylo notariorum hæc clausula in

omnibus testamentis apponitur, & per illam probatur lectio, & publicatio testamenti, ea deficiente, si negetur testamentum fuisse lectum, & publicatum, ei qui se fundat in illo incubere onus probandi dicunt Baldus, Castrensis, Alexander, Iason, Socinus, Decius, Curtius Iunior, Ruinus, Craveta, Covarrubias, & Mantica, quo refert, & sequitur Surdus *conf. 414. nu. 17. & 79.* Matienzus Gratus, Mascardus, Zabarella, quos sequitur referens Castillo, *d. c. 21. n. 89. & li. 5. c. 73.*



CA.



CAPUT XV.

DE TESTAMENTO IN SCRIPTIS INVÁLIDO, an sustineri possit ut nuncupativum, & quid si ob impedimentum superveniens non potuit perfici. Traduntur plures casus, & novè, & utiliter examinatur Disputatio.

SVMMARIVM.

Testamentum quod non potest sustineri in scriptis, an valeat ut nuncupativum cognoscitur ex distinctione casuum qui à Doctoribus referuntur. 1. Testator si testari vult in scriptis, & non in alia forma si testamentum non perficit in scriptis non valet ut nuncupativum. 2. Testamentum quod non valet in scriptis valet ut nuncupativum si expresserit testator ut valeat omni meliori modo, vel posita sit clausula codicillaris. 3. Et procedit, & si testator non nuncupaverit explicitè nomina heredum, sed tantum implicitè. 4.

Iuramentum habet virtutem clausula omni meliori modo. 5. Clausula codicillaris adiecta à notario, & à testatore non dicta quid operetur. 6. Clausula codicillaris in dubio, an censeatur apposita ordine, & voluntate testatoris, vel potius de stylo notariorum. 7. & 8. Clausulas omnes appositas esse de voluntate testatoris in dubio presumendum est, maxime si clausula sit ordinaria: Ibidem. Testamentum nullo modo valet quando forma illius nec sufficit testamento in scriptis, nec nuncupativo, & è contrario valet utroque modo quando solemnitates testamenti in scriptis, & nuncupativi continet. 9. & 10.

Te-